


HADRIANI RELANDI
DISSERTATIONUM
MISCELLANEARUM

PARS TERTIA,
ET ULTIMA.



TRAJECTI AD RHENUM.

Excusa GULIELMI BROEDELII,
Bibliopola. MDCCLXXXVIII.

XIII.

DISSERTATIO

DE

G E M M I S

A R A B I C I S.




XIII.

DISSERTATIO

D E

G E M M I S

A R A B I C I S.


I.  Uamvis non ignorem plures §. I. De usu Gemmarum Arabicarum. esse sollicitos de acquirenda possessione Gemmarum quarundam pretiosarum, quam indagandis inscriptionibus Arabicis Persicis, quas nonnullae ex iis praefecerunt; in eorum tamen, paucorum licet, gratiam qui monumenta Orientalia legere atque intelligere gestiunt, & involutos intricatosque literarum nexus expedire, gemmas aliquas exhibebo, & interpretationem adjiciam. Utilem hanc esse operam fatebuntur illi Philares & Philopertae, qui vel ad legendos Co-

dices manuscriptos, praecipue Persicos, vel ad explicandos Nummos, aut Inscriptiones Arabicas marmorum, animum adpellent. Quamvis enim parvum hoc specimen quod damus nequam sufficiat ad superandas omnes difficultates, aliquid tamen conferet: maxime si cum iis quae de Inscriptionibus quatuor Arabicis marmorum, quae Puteolis hodieque supersunt, orbi nuper exposui, conjungantur. Nec illis, qui horum sacrorum rudes sunt, plane ingratus esse hic labor poterit, nisi vana omnino mihi imaginatione blandiar. Quis enim est, qui non capitur intuitu scripturae tam concinnae & artificiosae, quae literas literis connexas, iustis ubique servatis intervallis, & inspersis punctis, veluti totidem stellulis, ornatas exhibet? quae omnia, satcor, accuratius ab illo percipiuntur, cui haec literae non ignotae sunt, sufficienter tamen homini ἀπιστευτῶ ostendunt, non ita rudes illos populos esse & barbaros a quibus haec proficiuntur, quam sibi vulgo nostri homines persuadent.

II. Gemmae primae explicatio.

II. Prima gemma, quae in Cimeliarchio Nobilissimi Viri *Jacobi de Bary* asservatur, haec est quam vides pag. seq. Explicui eam rogatu illius Viri mihi amicissimi, & literae illae fuerunt jam antea editae; sed quum in paucorum manibus versentur, eas hic lectori iterum exhibebo. Sunt autem haec.

Nobilissimo



*Nobilissimo Viro Jacobo de Bary
Hadrianus Relandus.*

Rarissime Amstelodamum relinquo, Vir Amicissime, quin me, more gentibus Orientalibus usitato, munusculo quodam bees: cujus rei ante paucos dies recens specimen edidisti, quum hunc Achatem, literis Arabicis inscriptum, mihi examinandum tradere voluisti, quem remitto, simul satis facturus desiderio Tuo, qui explicationem characterum a me petieras. Quum vero ductus mira ratione inuricati sint, sic ut unius vocis literae initiales aliquando supra, aliquando infra, sequentes collocatae sint, ad conciliandam scriptioni elegantiam, utque tota gemmae area

acqua-

aequalibus spatiis literas ubique exhibeat, illas hic Tibi extricatas, & eo ordine, quo nos vulgo characteres Arabicos disponere solemus, exhibebo: ita ut conferens literas cum literis ductus non multum divertos observare, eoque magis admirari artificium scriptiois in gemma Tua, possis. En Tibi ipsa verba Arabica لا اله الا هو الحي القيوم لا تاخذه سنة ولا نوم له ما في السموات وما في الارض من ذا الذي يشفع عنده الا باذنه يعلم ما بين ايديهم وما خلفهم ولا يحيطون بشي من علمه الا بما شاء وسع كرسيه السموات والارض ولا يوده حفتها وهو العلي العظيم.

Quae Latine ita sonant. *Deus: Non est praeter illum Deus alius. Hic est qui vivit, & in aeternum permanet, quem nulla dormitatio, nullus somnus, occupat. Hujus est, quodcumque coeli & terra complectuntur. Quis est, qui eo invito culpam alterius deprecabitur? Ille est, qui praesentia novit & futura; quum homines nil sciant, nisi quod ipse voluerit. Thronus ejus tam late patet quam coeli & terra, quorum omnium conservatio nequaquam ipsi est curari. Hic est ille excelsus & magnus. Egrediam, dices, descriptionem omnipotentiae & majestatis divinae! Ita est, Nobilissime Vir*

idque

idque magis faterere, si ipsa Arabica intelligeres. Dubito tamen an hoc persuaderi possit hominibus quibusdam, qui Mohammedanos omnes pro asinis habent; maxime si haec omnia totidem verbis in facerrimo Alcorani volumine contineri dixerim; & dixerim vere. Leguntur enim in Capite secundo, commate sexto & quinquagesimo ultra ducentesimum. Quippe meras nugas, & nil bonae frugis, Alcorano contineri, nonnullis persuasum est, quos vel haec sola pericopa convincet: quae, si ab scriptore Graeco vel Romano fuisset prolata, miris laudibus extolleretur; nunc, cum a Mohammede dicta sit, ne recensione quidem vel attentione digna judicabitur. Tantum valet praeconcepta de barbarie & stultitia Turcarum opinio! Praestaret eos magis esse sollicitos de illarum gentium conversione ad sacra Christiana, & horas quasdam addiscendae linguae Arabicae, quae & plurimos alios usus habet, legendisque scriptis Theologicis Mohammedanorum, impendere (si forte Deus quorundam e nostris opera uti vellet ad salutem tot errantium populorum) quam illos contemnere, linguas eorum negligere, & studium paucorum, quod in iis rebus collocatur, vituperare. Verum sentio me longius provehî. Tu, qui propius Mohammedanos Afros nosti, quum in Hispania vixisti,


mi-

mitius & benignius de iis judicare soles. Servet Te diu incolumem Deus & sospitem, ut egregios illos Nummos, Punicis, Celtibericis, aliisque rarissimis inscriptionibus insignitos (quibus vel Principes & Reges, Cimiarchiorum Nummariorum possessores, ad invidiam concitare potes) uti decrevisti, orbi erudito exponas, & industriae Tuae pretium feras, quod mereris. Scribebam Trajecti ad Rhenum, a. d. xxvi. Jul. cto MCCVI.

§. III. Continet comma Alcorani praestantissimum. III. Nihil habeo quod his addam, quae olim super hac re scripsi, nisi postea in Bibliotheca Orientali Viri Eruditissimi B. Herbelotii me notatum vidisse, ad titulum *Corfi*, hanc pericopam inter praestantissimas Alcorani a Mohammedanis numerari, & comma praefertim ultimum ut elegantissimum commendari. Ita ille. *Au chapitre second de l'Alcoran il est dit que le Throne de Dieu embrasse les cieux & la terre, & il n'a aucune peine a les conferver: car il est tres haut & tres grand. . . . Les Interpretes pretendent que ce verset est le plus considerable de tout l'Alcoran, & dont la lecture attire par consequent de plus grandes benedictions.*

§. IV. Gemma secunda eadem verba complectitur. IV. Altera gemma, quae postea pervenit ad ejusdem Viri supra laudati manus, & dein meas, haec est.

Con-



Continet illa eandem pericopam Alcorani, quam prima: sed modo scriptionis diverso exarata. Non injucundum accidit iis, qui literarum Arabicarum gnari sunt, conferre characteres hujus gemmae cum iis qui in prima leguntur, & mirari elegantem varietatem, qua literae & voces eadem ita conscriptae sunt, ut primo intuitu conspectae, nec ad examen accuratius revocatae, vix quidquam commune habere videantur. Sed haec sunt Orientis opes; haec luxuriantis calami, & fertilis imaginationis, in gentibus Asiaticis indicia, quae unum eundemque characterem pluribus iisque artificiosissimis ductibus variare norunt, & non exiguam partem ornatus librorum suorum, ut & epistolarum, gemmarum,

rum, ac nummorum, in hac arte collocantur. Hinc est fastidium illud, quo libros Arabicos, typis more nostro descriptos, averfantur, qui, licet accuratissime sint editi, nulla tamen ratione accedunt ad elegantiam codicum manuscriptorum quibus Oriens utitur.

§. V. Caput 112 Alcorani gemmae inscriptum.

V. Tertia gemma mihi tradita a Spectatissimo Viro, *Jacobo de Wilde*, qui rei maritimae, quae Amstelodami curatur, a rationibus est, continet Caput Alcorani 112, quod brevem doctrinae Mohammedicae epitomen exhibet, oppositam Judaeis, Christianis, & iis inter Persas qui Magorum instituta sequuntur. Primo quidem Deum suum esse *Deum unum*, eundemque aeternum esse docet. Vox *الصدق* varie transfertur, per aeternum; permanentem; eum ad quem, veluti scopum, omnes actiones nostrae tendere debent; eum qui per se subsistit, nec ulla re ad subsistendum indiget, sed quo res omnes indigent. Quam vim huic voci inesse scribunt Mohammedani. Sed Graeci, qui inter primos hanc religionem scriptis oppugnarunt, vocabulum hoc male transfulere per *δλοσφύρον* & per calumniam intolerabilem dixerunt Mohammedanos Deum suum facere corporeum, *λίθον ἢ ξύλον αἰναιόθητον*, quia sc. haec ipsa vox & affines nonnunquam de corporibus solidis & duris usurpantur. Verum his non immorabor.

morabor; & alibi hanc calumniam dilui. In eodem Capite Alcorani, quod gemma tertia exhibet, Mohammed contra Judaeos, quos ait Ezram, vel Ozair, pro filio Dei habere, scribit *Deum non generare*; contra Christianos, qui Christum a Deo Patre generatum credunt, *Deum non generari*, (quo respicit Damascenus in libro *de haeresibus*, ita de Mohammede scribens, λέγει ἕνα θεὸν εἶναι ποιητὴν τῶν ὄλων, μήτε γεννηθέντα μήτε γεγεννηκότα) contra Magos denique, qui duo principia aequalia boni & mali statuebant, & Arabes quosdam, qui Deo socios adscribebant, *nullum ei parem esse*. Ipsa gemma haec est.



VI. Quae in literis ad Spect. Wildium §. VI. Exdatis nuper ad eam explicandam scripsi, hic quoque lectorum oculis subjiciam. En ipsum gemmae literarum exemplum. §. VI. Explicatio gemmae tertiae.

Q

Spe-

*Spectatissimo Viro Jacobo de Wilde
Hadrianus Relandus.*

Quam hesterno die mecum Amstelaedam
huc detuli, gemmam Arabicam, Tibi remito,
una cum explicatione characterum, quos
ea continet. Lineae duae in media gemmae
tuae area conspicuae, typis illis Arabicis, qui-
bus typographi Christiani vulgo uti solent,
expressae, hae sunt:

لا اله الا انت سبحانك اني
كنت من الظالمين

Confer jam harum literarum formas, quas ego
Tibi hic exhibeo, cum illis, quas gemma
Tua exhibet, & videbis, quam longe absint
nostri typographi ab insigni illa Arabum cal-
ligraphia: sic ut mirum videri non debeat
Mohammedanos libris Arabicis a nobis im-
pressis, licet multo minori pretio ab iis com-
parari possint, uti Sadi Gulistan, & aliis,
eos, qui manu exarati sunt, longe praefere.
Deprehendes quoque, si hos characteres con-
tuleris, voces revera diversas conjungi, & hae
supra illas dispositas, quin & caudam litera-
rum in voce اني retrosum protensam, in

ut vice lineae distinguentis mediam gemmam
fungatur. Verba autem illa Latine reddita haec
sunt: NON EST DEUS PRAETER TE.
LAUS TIBI SIT: EGO SUM IN NU-
MERO INJUSTORUM. Complectuntur
illa integram formulam precum, quibus Jo-
nas Propheta usus fuisse legitur, quum in pi-
sce abditus lateret; & hoc ordine traduntur in
Alcorano, Capite primo & vigesimo, quod
Prophetarum inscribitur, commate septimo &
octogesimo. Scilicet missum illum scribunt
Mohammedani ad urbem نينوي *Ninoven*
مصايح القلوب (ita *Kessaus*: at auctor
نيتوي *Nitove*, sed male
nomen civitati dat نيتوي, sed male
adjecto puncto, atque eandem esse cum
موسل *Musel*, *Joseph* autem *Ibn Abdolla-*
tif شهر نيلوس *urbem Nilus*, lege
نيتوس) & quum poena, quam iis divinitus mi-
natus erat, non sequeretur, animi dubium &
iratum fugisse; deinceps orta tempestate & ja-
cta sorte, quis in mare projiciendus esset,
Jonam designatum, sed a pisce exceptum, in
quo per quadraginta dies latuit, donec his
precibus, vel hac confessione verius, iratum
Deum placavit, & aëri nostro redditus est. Illa
autem, quae in margine scripta totam gemmae
superficiem cingunt, primo exhibent consue-
tam illam formulam بسم الله الرحمن الرحيم
In nomine Dei summe misericordis, (quae sin-
gulis

gulis Suratís præfigi solet), & dein Caput integrum Alcorani, quod, ut vides, non nimis prolixum est, & antepenultimum totius Voluminis, ordine duodecimum & centesimum, & complectitur hæc verba, quæ veluti fulmen aliquod contra Christianos præcipue vibrant Mohammedani, quæque iis frequenter in ore sunt, in quatuor versus distincta.

I. قل هو الله احد

II. الله الصمد

III. لم يلد ولم يولد

IV. ولم يكن له كفوا احد.

I. DIC (Infidelibus sc. vel iis, qui Te rogant quid de Deo sentias) DEUS UNUS EST. 2. DEUS AETERNUS. 3. NON GENERAVIT, NEC GENERATUS EST. 4. NEC ALIQUIS IPSI PAR EST. Maximi faciunt hanc Suratam Mohammedani, sic ut nonnulli eam cum tertia parte totius Corani comparent. Quo magis patet, quis hujus gemmae usus fuerit, & quare hæc verba ad ejus inscriptionem delecta sint. Tu illam in Cimeliarchio Tuo repone, & serva in specimen calligraphiae & artis Arabicae, quod uti mihi conspectu fuit gratissimum, ita nullus dubito quin & aliis spectatoribus magno

gno opere futurum sit oblectamento. Si quid interim simili literarum forma insignitum ad manus Tuas perveniat, memorem Te *Relandi* esse velim, & vel *ἐκτονα* vel ipsas potius gemmas ad me curare. Vale, Humanissime *Wildi*, & me ama. Trajecti ad Rhenum, a. d. XVIII. CIO DCCVI.

VI. Gemma quarta, quam mecum communicavit Vir Nobilissimus, *Henricus Hadrianus vander Mark*, continet præter nomen proprium illius, qui ea usus est, nomina duodecim Antistitum, sive Imamorum, quos Persæ credunt legitimos Mohammedis fuisse successores: quumque inter illos quatuor fuerint qui nomen Ali gesserunt, lineam ultimae literae *ي* in voce Ali ita porrexit retrorsum sculptor hujus gemmae, ut eadem illa, quater scripta, quatuor areas formaverit, quarum singulae trium Antistitum nomina complectuntur. Sunt autem Antistites vel Principes hi, quorum nuda quidem nomina extant in hac gemma; verum ego ex MS. to meo *Taarich* titulos eorum addam.

I.

عالي المرتضى

Ali Morteda. sive gratus & acceptus Deo:
cujus uxor fuit Fatima, filia Mohammedis.

Q 3

II.

§. VII. 12
Perfarum
Antistites
gemmae
incisi.

I I.

امام حسن الرضا ابو محمد
Imam Hassan, Deo placens, Abu Mohammed.

I I I.

امام حسين ابو عبد الله
Imam Houssein, Abu Abdallah.

I V.

امام ابو الحسن علي نزين العابدين
Imam Abu'l Hassan Ali, ornamentum cultorum Dei.

V.

امام محمد الباقر
Imam Mohammed, sapientia excellens.

V I.

امام جعفر الصادق
Imam Zjaafar, Justus.

V I I.

امام موسى الكاظم
Imam Mousa, Clemens.

V I I I.

V I I I.

امام علي الرضا
Imam Ali, Deo gratus.

I X.

امام محمد التقي
Imam Mohammed, Pius.

X.

امام علي التقي
Imam Ali, Pius.

X I.

امام حسن العسكري
Iman Hassan Asceranus.

Ita dictus ab urbe Persiae Asker Macroum, quae natales ei praebuit.

X I I.

امام محمد المهدي
Imam Mohammed, Dux, sive Rector.

VII. De horum ultimo, *Mahadi*, qui §. VII. De anno aerae Mohammedicae 255 natus est, Antilitre multa *Mahadi*.

multa tradunt miranda Persae, creduntque cum paulo ante mundi finem iterum inter homines victurum, & se conjuncturum Jesu Messiae, sic ut ex religionibus duabus, Christiana & Mohammedica, una sit conflanda. Nec defuerunt inter Mohammedanos, qui ejus personam mentiti sint, de quibus consuli potest CL. Herbelotus in *Bibliotheca orientali*. Vidi olim Amstelodami, in supra laudato Cimeliarchio Bariano, laminam argenteam quadratam, quam, quod hujus Mahadi mentionem faciat, in tabella adjecta, ad signum numeri 5, aeri inscriptam do. Continet autem ea has voces ab una parte,

الله ربنا
محمد رسولنا
المهدي امامنا

i. e.

Deus est Dominus noster.

Mohammed est Legatus Dei ad nos missus.

Mahadi est Antistes noster.

Et ab altera parte has tres formulas, quas Arabes الكلمات الطيبات *bona verba* appellant, de quibus librum conscripsit Schahaboddin Abu'l Abbas Ahmed Ibn Amad Ibn Jon:

N. 4.



Pag. 245.

N. 6.



Pag. 249.


N. 5.

لا اله الا الله
 الامم محمد
 لا قوة الا بالله

Pag. 248.

الله
 محمد
 الامم

Pag. 249.



GEMMIS ARABICIS 249

Fousafa, Aliksehasi, quem habeo manuscrip-
 tum.

لا اله الا الله

الامر كله لله

لا قوة الا بالله

i. e.

Non est Deus praeter Deum.

Omne Imperium est Dei.

Non est potestas nisi in Deo.

I X. Gemma, ad signum numeri 6 in ta- §. I X. De
 bula depicta, exhibet has voces نر شو Sigillis pri-
 vatorum,
 نر شو قنديت ابن كسنو قنديت Narschou Pan- vatorum,
 dit, filius Kishnou Pandit, & numerum anni & Impera-
 1077 aerae Mohammedicae, i. e. nostrae toris Tur-
 1666. Fuit autem sigillum illius Narschou. cici.
 Pandit, قنديت significat Malaice hominem
 literatum, scribam, doctorem. Narschou &
 Kishnou nomina sunt propria a fluviis Indiae,
 vel Geniis qui iis praeesse creduntur, desum-
 ta. Hoc autem modo omnia fere Persarum &
 Arabum sigilla formata sunt, plerumque ab
 inferiori parte sursum versus legenda; quorum
 ego plura specimina hic non dabo, sed eo-
 rum loco Sigillum Imperatoris Turcarum Mo-
 rad sive Amurathis (vid. tabul. ad num. 7.)

Q 5

ex

ex Epistola quam anno 1632. ad Illustres & Praepotentes Belgii nostri Ordines dedit, quamque manu scriptam possideo. Vestigia literarum vocum *مران خان* *Morad Chan* facile quispiam in hoc Sigillo detegget. Ad sinistrum latus respectu legentis duae literae, signa vocum *ضيا مفر* i. e. *semper Victor*, leguntur. Eodem modo in Nummis nomen Imperatoris scribitur, quos, quum habeam, adicere potuissim, si non putassim clarius ex majori hoc sigillo ductus literarum observari posse.

F I N I S.

ADDENDA quaedam & emendanda in tribus partibus harum Dissertationum haec sunt. In Parte Prima. *Pag. 36. lin. 20. post lib. 111.* Inter eos autem qui Saxartem & Tanaim confuderunt & Hefycnium referendum puto. Sic ille: *Ἰαζάρτης, βοστανύ πολυμῶ.* Sed haec sunt nihili. Lege *Ἰαζάρτης, ὁ Ταναίς ποταμῶς.* *Pag. 104. lin. 19.* Plinius, quique eum sequitur Martianus Capella *de Geometr. Pag. 138. lin. 20.* in media voce ut litera collocari, ideoque alia ex T & H &c. *Pag. 174. lin. 16.* post *Salomonis*, (quod videtur credidisse Cl. Holstenius, illam urbem vocans emporium celeberrimum Ptolomaei; licet nihil habeat Ptolomaeus de emporio vel celebritate ejus urbis, uti observavit Cl. Cellarius *Notit. Orb. Antiq. l. 111. c. 23.*) In Parte II. *pag. 238. lin. 4.* Vide hanc sententiam mul-

multis firmatam a Doctissimo Peletario in Ephemeridibus Trevoltianis, Tom. V. p. 29. *Pag. 274.* in fine, post *notat*, videturque per *נסון* (si *נסון* non sumatur pro nomine proprio) innuere velle paludem illam sive *Λαθραν λίμνης*, magnum paludis receptaculum prope Babylonem a Nitocri fossam, cujus Herodotus meminit l. 1. sed puto verius esse, utramque vocem nomen esse proprium locorum, uti monui. Parte III. *pag. 4. lin. 27.* Indis *قرغ سبيل* *bellum in semina Dei. pag. 77. lin. 22. emporium, ora habitata. pag. 93. lin. 4.* notat. Ita autem appellatur Princeps vel Rex Bantaneensis, qui nullum in ea urbe superiorem agnoscit. *pag. 97. lin. 17. Doekon.* medicus. *pag. 121. lin. 14.* Malai-
ce *Orangkaya* notat. p. 228. l. 10. *natalitiorum.*

INDEX

IV. <i>Vel sono naturali, qui pluribus vocibus communis est.</i>	148
V. <i>Convenientia illa ostendenda in vocibus communioribus, & quomoda.</i>	150
VI. <i>Cur linguae Americanae adeo differant a reliquis. Causa prima, astus quorundam.</i>	153
VII. <i>Causa altera. Quod tam longo tempore non literis sed sermone hae linguae sint propagatae.</i>	154, 155
VIII. <i>Quas mutationes in linguas inducat pronuntiatio.</i>	156
IX. <i>Eadem causa differentiae linguarum quarundam Africanarum a reliquis.</i>	159
X. <i>Linguas Americanas convenire cum Asiaticis probabilius est, quam cum Europaeis.</i>	160
XI. <i>Quomodo ex Asia homines in Americam venerint.</i>	161
XII. <i>De characteribus, quibus Americani in scribendo utuntur.</i>	164
XIII. <i>Ex tali scriptura nasci posset scriptura similis Sinensi.</i>	165
XIV. <i>De linguis Americanis sigillatim.</i>	169
XV. <i>De lingua Brasilica.</i>	170
XVI. <i>Voces Brasiliae ex Lerio exceptae.</i>	176
XVII. <i>De lingua Brasilica ex Grammatica Anchietae.</i>	179
XVIII. <i>De lingua Chilica.</i>	181
XIX.	

XIX. <i>Differentia in scriptione harum vocum Chilicarum.</i>	190
XX. <i>De lingua Peruana.</i>	192
XXI. <i>De Poësi Peruana.</i>	196
XXII. <i>De lingua Pocomannica.</i>	197
XXIII. <i>De lingua Caraibica.</i>	198
XXIV. <i>De lingua Mexicana.</i>	206
XXV. <i>De lingua Virginica.</i>	208
XXVI. <i>Excerpta ex Bibliis Virginicis.</i>	211
XXVII. <i>De lingua Algonkina.</i>	214
XXVIII. <i>De lingua Huronum.</i>	219
XXIX. <i>Quae sit convenientia linguarum Americae Septentrionalis cum Islandica.</i>	220

I N

DISSERTATIONE XIII
DE GEMMIS ARABICIS.

I. D <i>De usu Gemmarum Arabicarum.</i>	233
II. <i>Explicatio gemmae primae.</i>	234
III. <i>Continet comma Alcorani praestantissimum.</i>	238
IV. <i>Gemma secunda eadem verba complectitur.</i>	ib.
V. <i>Caput 112 Alcorani gemmae inscriptum.</i>	240
VI. <i>Explicatio gemmae tertiae.</i>	241
VII. <i>Persarum Antistites gemmae incisi.</i>	245
VIII. <i>De Antistite Mahadi.</i>	247
IX. <i>De Sigillis privatorum, & Imperatoris Turcici.</i>	249

R

I N